

de qua-
dam occa-
sione pec-
candi.

5° An sibi occasio proxima peccandi esset ex accipiendis regulis bene formandi vestes mulierum per ipsarum corporum commensurationem (vulgo, ut dicitur, *in pigliar la misura*), aut esset ex aptandis vestibus feminis, quod nequit fieri nisi cum ipsarum mulierum attractione, idque esset sartori occasio proxima incidendi in pravas delectationes aut desideria, prout non raro accidit improbae conscientiae viris.

Proxenetam
rogetur de
retento ex-
cessu pre-
tium.

61. - XI°. Si accedit *proxeneta* aut *venditrix* (intellige de his quibus traduntur a dominis res vendendae licitantibus), interrogetur an aliquid retinuerit pretii ab emptoribus exacti. Tenuimus enim (*Lib. III, n. 825, v. Quaeritur*), quod nequit illud superans sibi retinere, etiamsi traderet domino pretium ab eo determinatum; quia talis determinatio fit, ut res non vendatur minoris, non autem ut proxeneta illud quod superest sibi retineat. Idque procedit, etiamsi a domino fuerit locus designatus ubi res venderetur, et proxeneta, adhibita ibi debita diligentia, in alio loco multum distanti pluris deinde vendidisset. Etenim tunc etiam dicimus quod ipse nequit omne superfluum retinere, sed tantum id quod ipsi spectare potest ob illum extraordinarium laborem; nam res semper domino fructificat.

Regulariter enim
non licet.

Casus in
quibus hoc
est licitum.

Excipimus (*Lib. III, n. 826, v. Bene autem*): 1° si proxeneta rem meliorem reddidit, et ideo pluris vendidisset quam res prius valebat; — 2° si proxeneta cum domino convenerit, amplius ei non tradere nisi pretium ab eo determinatum; et hoc sive expresse sive tacite, prout esset si dominus nullum pro ejus labore stipendium assignasset; — 3° si quod superest esset parvi momenti, ita ut praesumeretur dominus condonare; — 4° si proxeneta, facta ordinaria diligentia, ipse sibimet emeret rem pretio ab aliis oblato, et postea eam pluris venderet. — Idem dicendum, si quis tibi commiserit aliquam rem emen-

dam pretio designato, et tu minoris emisses; tunc enim nihil amplius exigere potes, nisi extraordinarium laborem adhibuisses, ut impensae parceres; aut si rem tuo nomine emisses, periculum in te assumendo. Hoc tamen intelligitur, si jam praemisisses moralem diligentiam, nec invenisses a quo rem minoris emere potuisses (*ibid.*).

62. - XII°. Si accedit *barbitonsor*, interrogetur an alios tondeat in diebus festis, ubi hujusmodi consuetudo non adsit. Quia contra, id ei non est vetitum, ubi consuetudo jam introducta est; aut si ibi nequeunt viri tonderi nisi in festis, eo quod in aliis diebus labori operam navare debent, ut se suosque sustentare possint.

Barbitonsor
rogetur
de labore
die festivo,

Praeterea interrogetur an comam mulieribus componat, juxta improbum usum hoc tempore a Satana inventum. — Ordinarie loquendo, puto id esse viris ^{a)} proximam occasionem peccandi lethaliter turpibus delectationibus aut saltem desideris; unde dico, minime permittendum id alicui qui in se contrariam non habuisset experientiam. Quod si unquam quis per notabile tempus expertus fuisset in hujusmodi actione se immunem a peccato, hic revera damnari nequit de mortali. Sed hoc non obstante, non omitat confessarius eum removere, quantum potest, ab hujusmodi officio, quod certe in se periculum continet.

et de sua
opera mu-
lieribus
praestita.

Hinc nolo dubium aliud discutere, an feminae possint nec ne tuta conscientia viros accersere, ut illi suas componant comas. Audio, quod ipsae pluribus in locis hoc faciunt; et confitentur et communicant. Videant ipsae et ipsarum confessarii. Saltem confessarius eis imponat ^{b)}, ne utantur viro aliquo juniore, ex cujus actionibus perceperint, eum malitiose se gerere. — Caeterum censeo quod mulieres purioris conscientiae non quidem utentur viris, sed contentae erunt feminis, a quibus coma componatur, meliori modo quo potest.

62. - ^{a)} Italicus textus habet « id esse juvenibus proximam, etc. ».

^{b)} Textus italicus fert: « Imponat ut dili-

gentiam adhibeant in quaerenda aliqua femina quae hoc facere possit, quam si non inveniant, saltem ne utantur, etc. ».